

## CAPUT QUINTUM.

### DE MUSICA.

Gaudentius quidam, de musica scribens, Pythagoram dicit hujus rei invenisse primordia ex melleorum sonitu et chordarum extensione percussa. Quam amicus noster vir disertissimus Mutianus transtulit in Latinum, ut ingenium ejus assumpti operis qualitas indicaret. Clemens vero Alexandrinus presbyter in libro quem contra paganos edidit, musicam ex musis dicit sumpsisse principium; musasque ipsas, qua de causa inventæ fuerint, diligenter exponit. Quæ musæ ipsæ appellatæ sunt ἀπὸ τοῦ μαστενεῖν, id est a quærendo, quod per ipsas, sicut antiqui voluerunt, vis carminum et vocis modulatio quæreretur. Invenimus etiam Censorinum, qui ad Q. Cerellium scripsit de natali ejus die, ubi de musica disciplina, vel de alia parte mathesis non negligenda disseruit: quoniam non inutiliter legitur, ut res ipsæ penetrabilius animo frequenti meditatione condantur.

Musica ergo disciplina per omnes actus vitæ no-

parâ nac ratione [*est.*, a creatione] diffunditur. Primum J  
si Creatoris mandata faciamus, et puris mentibus  
statutis ab eo regulis serviamus. Quidquid enim lo-  
quimur, vel intrinsecus venarum pulsibus commove-  
mur, per musicos rhythmos harmoniæ virtutibus præ-  
batur esse sociatum. Musica quippe est scientia bene  
modulandi; quod si nos bona conversatione tracte-  
mus, tali disciplinæ probamur semper esse socii;   
quando vero iniquitates gerimus, musicam non ha-  
bemus. Cælum quoque et terram, vel omnia quæ in  
eis dispensatione superna peraguntur, non sunt sine  
musica disciplina, cum Pythagoras hunc mundum  
per musicam conditum et gubernari posse testetur.

In ipsa quoque religione valde permixta est, ut  
Decalogi decachordus, tinnitus citharæ, tympana,  
587 organi melodia, cymbalorum sonus; ipsum I  
quoque Psalterium ad instar instrumenti musici no-  
minatum esse non dubium est, eo quod in ipso con-  
tineatur cœlestium virtutum suavis nimis et græta  
modulatio.

Nunc de musicæ partibus, sicut est a majoribus  
traditum, disseramus. Musica est disciplina vel  
scientia quæ de numeris loquitur, qui ad aliquid  
sunt his qui inveniuntur in sonis; ut duplum, tri-  
plum, quadruplum, et his similia, quæ dicuntur ad  
aliquid.

Musicæ partes sunt tres, nam vel est illa  
Harmonica,  
Rhythmica,  
Metrica.

Harmonica scientia est musica quæ discernit in C  
sonis acutum et grave.

Rhythmica est quæ requirit in concursione verbo-  
rum, utrum bene sonus, an male cohærea.

Metrica est quæ mensuras diversorum metrorum  
probabili ratione cognoscit; ut, verbi gratia, heroi-  
cum, iambicum, elegiacum et cætera.

Instrumentorum musicorum genera sunt tria:  
Percussionale,  
Tensibile,  
Inflatile.

Percussionalia, ut sunt acitabula ænea et argen-  
tea, vel alia quæ metallico rigore percussa, reddunt  
eum suavitate tinnitum.

Tensibilia sunt chordarum fila, sub arte religata,  
quæ amodo plectro percussa mulcent aurium dele-  
tabiliter sensum: in quibus sunt species cithara-  
rum diversarum.

Inflatilia sunt quæ spiritu reflante completa, in  
sonum vocis animantur, ut sunt tubæ, calami, orga-  
na, panduria, et cætera hujusmodi.

Restat nunc ut de symphoniis dicere debeamus.  
Symphonia est temperamentum sonitus gravis ad  
acutum, vel acuti ad gravem, modulamen efficiens,  
sive in voce, sive in percussione, sive in flatu.

Symphoniæ sunt sex:  
Prima, diatessaron,  
Secunda, diapente,  
Tertia, diapason,  
Quarta, diapason simul et diatessaron,



**A** Quinta, diapason simul et diapente,  
Sexta, disdiapason.

Diatessaron symphonia est quæ constat ex ratione epitrita, et fit ex sonitibus quatuor, unde nomen accepit.

Diapente symphonia est quæ constat ex ratione hemiolia, et fit ex sonitibus quinque, unde etiam nomen accepit.

Tertia, diapason, symphonia est, quæ etiam diocto dicitur, constat ex ratione diplasia, hoc est dupla; fit autem per sonitus octo, unde et nomen accepit, sive diocto, sive diapason: quia apud veteres citharæ ex octo chordis constabant. Diapason ergo dicta est, quasi ex omnibus sonitibus constans.

**B** Quarta, diapason simul et diatessaron, symphonia est quæ constat ex ratione quam habet 24 numerus ad 8 numerum; fit autem ex sonitibus undecim.

Quinta, diapason simul et diapente, symphonia est quæ constat ex ratione triplasia; fit autem per sonitus duodecim.

Sexta, disdiapason, id est dupla diapason, symphonia est quæ constat ex ratione tetraplasia; fit autem per sonitus quindecim.

Tonus est totius constitutionis harmonicæ differentia et quantitas, quæ in vocis accentu sive tenore consistit.

Toni sunt quindecim:

**C** Hypodorius,  
Hypoastius,  
Hypophrygius,  
Hypoæolius,  
Hypolydius,  
Dorius,  
Jastius,  
Phrygius,  
Æolius,  
Lydius,  
Hyperdorius,  
Hyberastius,  
Hyperphrygius,  
Hyperæolius,  
Hyperlydius,

1. Hypodorius tonus est omnium gravissime sonans, propter quod et inferior nuncupatur.

**D** 2. Hypoastius autem, hypodorium hemitonio præcedens.

3. Hypophrygius est hypoastium hemitonio, hypodorium tono præcedens.

4. Hypoæolius est hypophrygium hemitonio, hypoastium tono, hypodorium tono semis præcedens.

5. Hypolydius est hypoæolium hemitonio, hypophrygium tono, hypoastium tono semis, hypodorium ditono præcedens.

6. Dorius est hypolydium hemitonio, hypoæolium tono, hypophrygium tono semis, hypoastium ditono, hypodorium duobus semis tonis, hoc est, diatessaron symphonia præcedens.

7. Jastius est dorium hemitonio, hypolydium tono, hypoæolium tono semis, hypophrygium ditono, hy-

pojasuum uobus semis, hoc est diatessaron sym- A  
phonia, hypodorium tribus tonis præcedens.

8. Phrygius est jastium hemitonio, dorium toni,  
hypolydium tono semis, hypoxolium ditono, hypo-  
phrygium duobus semis tonis, hoc est diatessaron  
symphonia; hypojastium tribus tonis, hypodorium  
tribus semis tonis hoc est diapente, symphonia præ-  
cedens.

9. Æolius, phrygium hemitonio, jastium toni,  
dorium tono semis, hypolydium duobus semis, hoc  
est diatessaron symphonia; hypophrygium tribus  
tonis, hypojastium tribus semis, hoc est diapente  
symphonia; hypodorium quatuor tonis præcedens.

10. Lydius est æolium hemitonio, phrygium tono,  
jastium tono semis, dorium duobus tonis, hypoly- B  
dium duobus semis tonis, hoc est, diatessaron sym-  
phonia: hypoxolium tribus tonis, hypophrygium  
588 tribus semis tonis, hoc est diapente sympho-  
nia; hypojastium quatuor tonis, hypodorium quatuor  
semis tonis præcedens.

11. Hyperdorius est lydium hemitonio, æolium  
tono, phrygium tono semis, jastium duobus tonis,  
dorium duobus semis, hoc est diatessaron sympho-  
nia: hypolydium tribus tonis, hypoxolium tribus  
semis tonis, hoc est diapente symphonia; hypophry-  
gium quatuor tonis, hypojastium quatuor semis, hy-  
podorium quinque.

12. Hyperjastius, est hyperdorium hemitonio, ly-  
dium tono, æolium tono semis, phrygium duobus  
tonis, jastium duobus semis tonis, hoc est diatessa- C  
ron symphonia; dorium tribus tonis, hypolydium  
tribus semis tonis, hoc est diapente symphonia; hy-  
poxolium quatuor tonis, hypophrygium quatuor  
semis, hypojastium quinque tonis, hypodorium quin-  
que semis.

13. Hyperphrygius est hyperjastium hemitonio,  
hyperdorium tono, lydium tono semis, æolium duo-  
bus, phrygium duobus semis, hoc est diatessaron  
symphonia; jastium tribus tonis, dorium tribus se-  
mis, hoc est diapente symphonia; hypolydium qua-  
tuor tonis, hypoxolium quatuor semis, hypophrygium  
quinque, hypojastium quinque semis, hypodorium  
sex, hoc est, diapason symphonia præcedens.

14. Hyperæolius est hyperphrygium hemitonio, hy-  
perjastium tono, hyperdorium tono semis, lydium  
duobus tonis, Æolium duobus semis, hoc est diates- D  
saron symphonia; phrygium tribus tonis, jastium  
tribus semis tonis, hoc est diapente symphonia; do-  
rium quatuor tonis, hypolydium quatuor semis, hy-  
poxolium quinque tonis, hypophrygium quinque  
semis, hypojastium sex tonis, hoc est diapason sym-  
phonia: hypodorium sex semis tonis.

15. Hyperlydius est novissimus et acutissimus  
omnium, hyperæolium hemitonio, hyperphrygium  
tono, hyperjastium duobus tonis, hyperdorium duo-  
bus semis tonis, hoc est diatessaron symphonia; æo-  
lium tribus tonis, phrygium tribus semis tonis, hoc  
est diapente symphonia; jastium quatuor tonis, do-  
rium quatuor semis, hypolydium quinque, hypoxo-  
lium quinque semis tonis, hypophrygium sex tonis,



**A** hoc est diapason symphonia ; hypojastion sex semitonus, hypodorium septem tonis. Unde claret quoniam hyperlydius tonus omnium acutissimus, septem tonis præcedit hypodorium omnium gravisimum : in quibus, ut Varro meminit, tantæ utilitatis virtus ostensa est, ut excitationes [mss., ut excitaret] animos sedaret, ipsas quoque bestias, nec non et serpentes, volacres atque delphinas ad auditum suæ modulationis attraheret.

Nam ut Orphei lyram, Sirenarum cantus, tanquam fabulosa taceamus : quid de David dicimus, qui ab spiritu immundo Saulem disciplina saluberrimæ modulationis eripuit, novoque modo per auditum sanitatem contulit regi, quam medici non poterant herbarum potestatibus operari (*I Reg. xvi, 23*)? Asclepiades quoque melicus, majorum attestatione doctissimus, phreneticum quemdam per symphoniam naturæ suæ reddidisse memoratur. Multa sunt autem in ægris hominibus per hanc disciplinam facta miracula. Cælum ipsum, sicut supra memoravimus, dicitur sub harmoniæ dulcedine revolvi. Et ut breviter cuncta complectar, quidquid in supernis sive terrenis rebus convenienter secundum auctoris sui dispositionem geritur, ab hac disciplina non refertur exceptum.

Gratissima ergo nimis utilisque cognitio, quæ et sensum nostrum ad superna erigit, et aures modulatione permulcet ; quam apud Græcos Alypius, Euclides, Ptolomæus, et cæteri probabili institutione [mss., instructione] docuerunt. Apud Latinos autem **C** vir magnificus Albinus librum de hac re compendiosa brevitate conscripsit ; quem in bibliotheca Romæ nos habuisse, atque studiose legisse retinemus. Qui si forte gentili incursione sublatus est, habetis hic Gaudentium Mutiani Latinum ; quem si sollicita intentione relegitis, hujus scientiæ vobis atria patefacit. Fertur etiam Latino sermone et Apuleium Madaurensis instituta hujus operis effecisse.

Scrpsit etiam et Pater Augustinus de musica sex libros, in quibus humanam vocem, rhythmicos sonos et harmoniam modulabilem in longis syllabis atque brevibus naturaliter habere monstravit. Censorinus quoque de accentibus voci nostræ adnecessariis subtiliter disputavit, pertinere dicens ad musicam disciplinam ; quem vobis inter cæteros transcriptum **D** reliqui.